F. 2. Morbio 20 (32)

In nomine domini. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, indictione quinta, die lune quinto mensis aprilis.
Religiosus vir dominus frater Erasmus de Ghirolamo [?] professus ordinis predicatorum conventus Sancti Eustorgii Mediolani ac sindicus et
administrator bonorum et iurium substantie ecclesie Sancti Eustorgii predicti ut constat instrumento tradito per notarium infrascriptum anno currente, die
mercurii quartodecimo mensis octubris, titulo innovationis et innovando investituram antiquam dicte substantie et facto pacto quod per hanc investituram
nec per infrascripta non derogetur in aliquo iuri alicuius persone cui alias et alio modo ipse substantie presentem investituram non fecisset
nec fecit nec facit, investivit nomine libelli perpetui ad beneficium ad meliorandum et non peiorandum Zanolum filium quondam
Petri de Honate civitatis Mediolani porte Ticinensis foris parochie Sancti Laurentii Maioris presentem suo nomine proprio et vice et nomine et ad partem
et utilitatem Beltramoli fratris sui et Martini de Honate germani sui filii quondam Anselmi eiusdem porte et parochie foris pro quibus promisit
de rato habendo et tenendo ac ratificando. Nominative de fondo seu solo unius sedimi super quo sunt edifficia iacentis in dicta porta et parochia
foris. Cui coheret a mane strata, a meridie dicte substantie et tenetur per Zanollum Pollastram, a sero dicte substantie et tenetur per heredes quondam
Anselmi de Nicolao, a monte dicte substantie et tenetur per Mazolum Schacabarozium. Eo tenore quod a festo Sancti Laurentii proximo preterito usque
in perpetuum predicti de [Ho]nate cum suis heredibus et cui dederit debeant tenere et nomine libelli perpetui possidere predictum solum seu fondum predicti
sedimi cum omnibus suis iuribus et pertinentiis et de eo facere quidquid voluerint, servatis pactis infrascriptis, meliorandum et non peiorandum. Et dare
et solvere teneantur et debeant dicti de Honate cum suis heredibus et cui dederit dicto substantie seu successori nomine dicte substantie omni
anno usque in perpetuum pro ficto libellario predicti soli seu fondi predicti sedimi minas tres et medietates duas frumenti boni et
pulcri sichi et neti tracti et consignati in domo habitationis fratrum Sancti Eustorgii in quolibet festo Sancti Laurentii. Cum pacto
pluri predictum frumentum fuerit et valuerit post quemlibet terminum solutionis. Hoc acto et pacto speciali inter ipsas partes apposito
si predicti de Honate vel eorum heredes steterint aliqua vice post aliquod festum Sancti Laurentii usque ad festum Sancti Martini proxime sequentis
quod non solverint predictum fictum integraliter ut predictum est quod cadant et cecidisse intelligantur ab hac investitura et ab omni iure
huius libelli et ab omni et de omni iure et melioramento quod haberent vel sibi pertineret in predicto et super predicto sedimine si dicto placuerit
locatori et eo iure et facto liceat dicto substantie ipsos de Honate excludere a predicto et de predicto sedimine et ab omni et de omni iure et melioramento
eiusdem etiam sua propria auctoritate presenti investitura non obstante et nichillominus solvere teneantur fictum predictum non solutum. Item si vendere
voluerint aliquod ius vel melioramentum quod haberent vel sibi pertineret in eo et super eo sedimine quod teneantur substantie dicte substantie
qui tunc fuerit denuntiationem facere continentem personam emptoris et pretium verum quod inde habere poterunt et ipsam substantiam
expectare per quindecim dies tunc proxime ad se deliberandum et respondendum utrum emere voluerit an non et sibi dare et vendere
ipsum ius et melioramentum nomine dicte substantie pro denariis duodecim minus qualibet libra quam in veritate habere possent ab alia
persona si emere voluerit. Si autem vel si infra ipsum terminum nullam fecerit responsionem de emendo tunc sit licitum dictis de Honate
dictum ius et melioramentum alteri dare et vendere dummodo illud non vendant alicui ecclesie nec hospitali magnati [?] nec
similis persone ita quod predictum fictum semper solvatur per unum caput et non per divisum et dummodo curet et faciat cum effectu quod
ille nomine emptoris renovet a dicto substantie similem investituram huius cum similibus pactis promissionibus obligationibus et renuntiationibus
et det et solvat dicto substantie nomine dicte substantie denarios duodecim per qualibet libra veri pretii quod inde acciperet
et si ipsi de Honate contra vel eorum heredes contra predicta vel aliquod predictorum facerent vel venirent seu predicta non observaret
ut supra quod omnis venditio et alienatio in contrarium facta nulla sit et nullius valloris et momenti ipso facto et eo
iure et facto seu neglecto ipsi de Honate et eorum heredes cadant et cecidisse intelligantur ab hac investitura et ab omni
iure huius libelli et ab omni et de omni iure et melioramento quod haberent vel sibi pertineret in predicto et super predicto sedimine et si
dicto placuerit substantie et perveniat ipsum sedimen cum omnibus suis iuribus et melioramentis in ipsam substantiam per
modum et formam supra scriptos. Que omnia et singula sic dare et solvere attendere et observare ut supra predictus Zanolus
promisit et convenit et se et omnia sua bona presentia et futura pignori obligavit predicto substantie stipulanti et recipienti nomine
et vice et ad partem et utilitatem predicte substantie cum omnibus expensis dampnis et interesse que fierent vel paterentur in
iudicio vel extra predictis omnibus et singulis sic dandis et solvendis attendendis et observandis ut supra. Et versa vice predictus
substantie promisit et convenit obligando bona dicte substantie dicto Zanolo suo et predicto nomine stipulanti et recipienti
quod solutis et servatis predictis et singulis deffendet et guarentabit eis de Honate et suis heredibus et cui dederint predictum sedimen
cum omnibus suis iuribus et pertinentiis ab omnibus persona et personis communi collegio et universitate et coram quolibet iudice
ecclesiastico et seculari quotiens est causa et pro dicte substantie tam propriis expensis dampnis et interesse ipsius substantie
et sine expensis dampnis et interesse ipsorum de Honate et quod restituet dictis de Honate omnes expensas et omnia dampna et
interesse quas et que facerent vel paterentur in iudicio vel extra pro predicto sedimine sic deffendendo et guarentando ut supra. Que omnia
et singula facta sunt eo acto quod si occasione predictorum vel alicuius eorum agi contingerit possit dicte partes et utraque ipsarum
insolidum in quacumque civitate terra et loco ad promissa conveniri una pars ad petitionem alterius et altera alterius. Constituentes
se se dicte partes omnia sua bona silicet dictus substantie bona dicte substantie iure pignoris ac iure precario una pars nomine
alterius et altera alterius et precario tenere et possidere ita quod adveniente casu petendi liceat parti predicta attendenti et observanti
ubicumque invenerit de bonis et rebus alterius partis non attendentis et non observantis accipere robare sequestrare possessionem intrare vendere
et alienare et insolutum accipere et retinere quousque ad plenam et completam solutionem et satisfactionem omnium predictorum sua propria auctoritate
et sine banno et [illegible] et sine aliqua pena ac sine precepto alicuius iudicis. Non obstantibus causis collocatis vel
collocandis feriis dilationibus vel interdictis. Quibus omnibus ille partes dictis nominibus renuntiaverunt insuper renuntiavit quod non
possit dicere insolutum sibi datum processum predictis vel aliquod predictorum aliud quam predictum fictum vel pecuniam numeratam. Nec
opponere nec alegare eis nec alteri ipsarum de predictis unum aliquid factum esse. Et generaliter omnibus aliis statutis consiliis
ordinationibus provisionibus et reformationibus [illegible] Mediolani factis vel fiendis in contrarium predictorum. Quibus omnibus et singulis partes
scientes et pacto speciali ille partes renuntiaverunt. Actum Mediolani in domo fratrum Sancti Eustorgii predicti presente Johanolo filio
Simonis de Calvis habitante in burgo Lactarella plebis Decimi comitatus Mediolani notario. Interfuerunt ibi testes
Albondinus filius quondam Johannis [illegible] et Julinus filius quondam Maffei de Azio et Johannes filius quondam Martini de Besana [?]
omnes porte et parochie foris noti ydonei vocati ad hec et rogati.

Ego Paganolus Imerzanus [?] notarius filius domini Guarnerii civitatis Mediolani porte Ticinensis parochie Sancti Laurentii Maioris foris [illegible] tradidi et scripsi.

Ego [illegible] Johanolus de Calvis notarius iussu suprascripti notarii scripsi et predictus notarius interfui ut supra et me subscripsi.

1367. 5. April

1367. 5. aprilis

Investitura domini Florentii Zanolus
de labore in sive de [illegible]

de Calvo

Morbio 20 (92)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1852802790-13